

Bl. 12.

Ch 3845  
Ex Liuii IX. Cap. 17. seq.

# ALEXANDRUM

MACEDONEM

Cum

ROMANIS DVCIBVS

illorum temporum,

ADOLESCENTES NOBILISSIMI

die XV. Aprilis post horam octauam

*in Schola Episcopali*

committent.

Perillustrem Præsidem, & ceteros vtrius-  
que Reipublicæ Proceres, cum Eruditis huius  
loci singulis,

*demississime & officiose*

invitat ad audiendum.

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,  
Rector.


---

C I Z Æ,

Excudebat Fridem. Setstädt / Ducal. Sax. Numb.  
Typogr.

x.





**D**E Alexandri Magni fortitudine in vtramque partem disputare, illamque cum aliarum gentium virtute committere, digna semper materia visa fuit, in qua se ingenia exercitarent, vt quid vltimum esset in maxima fortuna, (sive vitiorum, sive virtutum fastigium est) peruestigando experirentur. Hinc L. Annæum Senecam videmus, omnem fere virtutis laudem Alexandro adimere: contra Arrianum vitia eiusdem speciosis verbis excusare: alios porro quasi medios esse, & laudare, quæ in illo eximia & præclara erant: nec tamen eorum, quæ passim notantur, prætermittere vituperationem. Nam posterorum censuræ neque principes viri exempti sunt, & quod metu ipsis viuis supprimebatur, vel adulatione; id posteritatis iudicium, quod candidum semper & liberum est, in sole ponitur, omnibusque perspicendum exhibet. Inprimis Liuius Patauinus, omnium, qui Romanam historiam condiderunt, stilo, ingenio, fide præstantissimus, fortitudinem Alexandri & belligerædi peritiam, quam nemo vnquam fecit dubiam, cum Romanorum virtute comparare, illumque his minorem iudicare non subdubitauit. Egregium tanti scriptoris iudicium, etiam rationibus subnixum nequaquam contemnendis: attamen nec ita tutum munitumque, vt aliorum ingenia non possint penetrare; neque tanta auctoritate corroboratum, vt non liceat accuratius examinare, & si res ita tulerit, in aliam ire sententiam. Facturi itaque sunt, quod operæ pretium est, nobilissimi adolescentes, cum Liuianam digressionem

nem remetiri, & quid illa in recessu habeat, sedulo inquire suarum partium ducent, & strenue etiam expedient. Nam cum generis antiquitate florentissimus iuuenis

10. CHRISTOPHORVS von Korbitz/

Eques Misnicus,

in virtutis bonarumque artium stadio adhuc progressus tales fecerit, vt dignus omnibus visus fuerit, qui ad maiora certamina, *Academica* puto, admitteretur; antequam Scholam valere iubeat Scholæque Patronos, constituit de Liuiano excursu in historiam Alexandream, aliquid præmittere, cui suam operam addixerunt, vt dissertatio vberior fieret, commilitones itidem natalium splendore nobilissimi. Nempe

10. CAROLVS von Borberg/ Eques Variscus, de *fecunditate studii historici* præfabitur, quæ tanta est, vt non tantum suppeditet, quod quisque imitandum fugiendumue capiat, sed etiam ex iis, quæ nunquam eueniunt, si fingantur euenisse, eliciat virtutis hortamenta & vitæ morumque præcepta saluberrima. Deinde

GEORG HENRICVS von Brandenstein/ & ipse Variscus Eques, Liuianas partes tuebitur, & quantum poterit, euincere studebit, *Alexandrum Macedonem non parem in Italia belli fortunam, qua in Persia & India usus est, habiturum fuisse*, quod tum in viros incidere, in Asia in imbelles fœminas incidisset. Huic denique respondebit laudatus noster KÖRBITZIVS, & tum ex Moralis Philosophiæ præceptis, tum ex Historicorum monumentis probabit, *nihil Romanos, licet nominis gloria terrarum orbem impleuerint, Macedonice laudi detracturos fuisse*, si fortuna vtrumque populum in Italia dubio Martis periculo exposuisset.

Hæc dum ornatissimi adolescentes in vtramque partem de *fortitudine* Magni differant; non alienum ab officio

ficio putamus, *reliquarum virtutum vel vitiorum*, quæ in Alexandro fuerunt, censum agere, & peruidere, vtrum vitii ille, an virtutibus fuerit major. Etsi enim illius fortitudo, & in victos clementia, etiam castitas, & abstinentia *ἀφιάρουε*, in cælum laudibus efferuntur: tamen non frustra nobis agere videntur illi, qui tanti Herois iustitiam in dubium vocant, animique in voluptate, honoribus atque ira continentiam faciunt suspectam. Multum interest examinasse, num iusta fuerit Asiatica expeditio, cum caussa belli vacillante, si non omnes, plures tamen Alexandri virtutes, ingenti ruina corruant. Darius sane apud Curtium IV. 10. *odisti me*, inquit, *non quidem prouocatus*, cui Alexander multa & grauia opponit, a Xerxe & Dario Hystaspis inuasam Græciam, patrem Philippum Perfarum insidiis occisum, sollicitatos Græcos ingenti pecunia, vt a Macedonibus deficerent, quæ singula & alia tradit Arrianus libr. II. Exped. Alex. p. 120. & 122. Nimis vero longum est, etiam iniquum, belli caussam ab Hystaspida & Xerxis temporibus accersere, cum bella, seculorum interventu sepulta, iniustum sit a posteris reparari, qui nec ipsi, nec patres ipsorum meminerint iniuriæ acceptæ. Falsa etiam res est de percussoribus Philippo immisissis, cum Græci Latini que scriptores, Diodorus, Plutarchus, Trogus &c. vno animo tradant, iustitiæ satelliti negatæ penas dedisse, cum in nuptiis filia a Pausania interficeretur. Nihil his de Persicis insidiis notum fuit, quin potius Plutarchus commemorat, τὸ μὲν πλείστον εἰς Ὀλυμπιάδα τῆς αἰτίας ᾤθηλθε, *maximam culpam huius cædis in Olympiade hæsisse*, quæ ira flagrantem hortata esset & stimulasset Pausaniam: εἴρησε δὲ τις καὶ Ἀλεξάνδρου Διὰβολή, *neque ipsum Alexandrum fuisse suspitione exsolutum*. Tertium, quod obiecerat, de sollicitatis Græcis, non minus dubium incertumque videtur. Nam

Nam

Nam si vera hæc caussa fuit, cur finxit patrem a Perſis interfectum? Vbi veritas ſufficit, non opus eſt commentis, quia ipſa ſibi ſatis præſidio poteſt eſſe. Non itaque male putamus Scytharum legatum Alexandro dixiſſe: *omnium gentium, quas adieſti, latro es.* Quid enim aliud eſt iniuſtum bellum, quam apertum latrocinium? Finge iuſte Darium oppugnawe, quid cum Scythis fuit, cum Indis aliisque, qui ſub Darii ditione neque fuerant, neque bellicis opibus illum adiuuerant vnquam? At Herculem ſe imitari profeſſus eſt. Reſpondet Seneca ex 1. de Benef. c. 13. *Hercules nihil ſibi vicit: orbem terrarum tranſiuit non concupiſcendo, ſed vindicando.* At hic [Alexander] a pueritia latro, gentiumque waſtator. Egrege ſane idem Annæus Epif. 94. a iuſtis belli cauſſis ambitionem & inclareſcendi cupiditatem excludit, nec ſolo Alexandri, ſed etiam Pompeii, Cæſaris, Marii exemplis rem illuſtrat. Cum enim Pompeius modo in Sertoriana arma, modo ad cogendos piratas, & contra Mithridatem iret, hæc quidem prætexebantur cauſſe ad continuandam potentiam; vera autem ſuberat, *inſinita cupido creſcendi, cum ſibi vni parum magnus videretur.* Cæſarem, quid in ſua pariter ac publica fata immiſit? *Vnum ante ſe ferre non poterat, cum reſpublica duos ferret.* Marium putatis Cimbroſ Teutoneſque concidiſſe, & Iugurtham per Africæ deſerta ſecutum eſſe virtutis inſtinctu? *Marius exercitum, Marium ducebat ambitio.* Quidquid ergo Alexander cauſſatus eſt, negaritamen non poteſt, pleraque bella, quæ Dario victo geſſit, non fuiſſe iuſtiſſima. Naſcitur ex mala radice peſſimus fructus, *inſana cupido poſſidendi omnia.* Vni homini non ſufficebant, quæ naturæ vniuerſæ ſatis erant. Poſt Darium enim & Indos pauper eſt Alexander: quærit, quod ſuum faciat, ignota maria ſcrutatur, & concupiſcit aliquid poſt omnia. O quam

quam infelix discere Geometriam cœperat, sciturus, quam pusilla terra esset, ex qua *Magni* sibi nomen tribuebat. Quis enim esse magnus in pusillo potest? Vt vero hoc nomen tueretur, diuina humanaque permiscebat, & mortalis originis pertæsus, Iovis se filium credi cupiebat. Hinc adorationes humi iacentium tam Perfarum, quam Macedonum, quos assentandi libido & turpis adulatio adeo corruerat, ut cum victis victores de seruitute concertarent. Extremum malorum, & ruinæ impendentis signum certissimum! Nunquam enim diutius tulit Deus, quos mortalis sortis pœnituit: & diuinitatem affectantes celeri supplicio oppressit, ut illico se homines esse intelligerent. Philippi patris exitus, qui eodem die interfectus fuit, quo, ut Diodorus Siculus XVI. extremo refert, *καὶ τὸν τοῖς θεοῖς ἀνὸς ἄλλοθεν καὶ ἀπὸ τῆς πόλεως, ἑῶν ἑαυτὸν ἑαυτὸν ἀπὸ τῶν θεῶν ἀποκαταστήσει, ἑῶν ἑαυτὸν ἀπὸ τῶν θεῶν ἀποκαταστήσει, ἑῶν ἑαυτὸν ἀπὸ τῶν θεῶν ἀποκαταστήσει*, se ipsum inter Deos numerari passus erat, filio documento esse potuit, ne prosperam fortunam immodico fastu & superbia labefactaret. Sed tanta cæcitas menti fuit, & initorum suorum, cum felicitas adspiravit, obliuio, ut ferro & tormentis divinos honores sibi a nolentibus extorqueret. Clitum in convivio interfecit: Callisthenem ante tortum enecavit. Vnde in amicos sæuitia? quod Alexandrum hominem esse Philippique filium profiterentur. Dic nunc, magnum fuisse Macedonem, at tibi dicetur etiam, *Clitum interfecisse*. Refer multa Perfarum millia occisa: addo etiam *Callisthenem*. Quoties dictum erit, Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat: opponetur, *Et Parmenionem occidit, fidei summum purpuratorum*. Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Aiunt fortem fuisse, castum, abstinentem, clementem. Sed neque harum virtutum ratio sibi satis constat. Temeritatem enim alii vocant, quidquid pro fortitudine adulescentes coluerint:



rint: cum, fortuna perpetuo comitante, nunquam in  
discrimen venerit, an temere fecisset. Verum quod  
Heros fuit, a sacris etiam vatibus prædictus, nolim for-  
titudinis laude spoliatum, quem vel sola felicitas a te-  
meritatis crimine liberare possit. At voluptatum absti-  
nentiam, initio belli Persici ex Aristotelis disciplina reli-  
quam, vel vna Thais, fax illa crematæ Persepolis, consu-  
mere potest, vt perpotandi dulcedine in externum mo-  
rem laberetur rex disciplinæ ante obseruantissimus. Quid  
refert abstinentem fuisse, cum luxu orbem terrarum per-  
diderit? quid in victos clementem, cum in amicos sæui-  
ret, tormentis, leoni, barbaris obiiceret? Summum bo-  
num duxit, terrori esse cunctis mortalibus, oblitus, non  
ferocissima tantum, sed ignauissima etiam animalia ti-  
meri ob virus malum. Quid ad hæc Arrianus? *Si quid,*  
ait lib. VII. *ab Alexandro iræ vehementia rapiditateque com-*  
*missum est, aut si (ἐς τὴν βαρβαρίσιν) in barbarum morem indu-*  
*ctus est, ἡ μεγάλη τίθηται ἔγωγῃ, equidem non tanti faciendum*  
*consuerim.* Ego vero omnino magni facio, & in maximis  
malis numero, tantarum rerum gloriam iræ incontinen-  
tia contaminasse. Neque iræ imputanda est omnis cru-  
delitas, sed intolerabili superbix, qua, spreto mortalium  
fastigio, cælum inuolabat, Iouis se filium credi postula-  
bat, quod cum ferre non possent Macedonum cordatio-  
res, ita exarsit in exitium illorum, vt barbaram etiam cru-  
delitatem superaret. Hoc quoque Arrianus mitigaturus,  
quod ad deum, inquit, *generis originem referebat, εἰς τὸ ἐμοὶ*  
*δοκεῖ εἶναι μέγα ἄνω τὸ πλημμέλημα, εἰ μὴ καὶ σφισμα ἦν τυχὸν ἐς τὰς*  
*πανόχους τῶν σεμνῶν ἕνεκα, ne hoc quidem atrocium delictum fuisse*  
*consueo, quippe eo commento maiorem auctoritatem apud sub-*  
*iectos sibi, conciliaturus erat.* Ergone satis præfidii non erat  
in sanctissimo REGIS nomine, quod omnes barbari ve-  
nerabantur? Falso se credit fictis honoribus turum,  
quem

quem veri non defendunt: nec hisce artibus obsequium, sed beneficiis & miti imperio quærendum est. Fastu & superbia, non devictarum gentium salute, in hoc sacrilegium adductus est immoderatæ cupiditatis iuuenis, qui neque honorum, neque dominationis modum teneret ullum. Piget afferre, quibus ebrietatem & commissationes Arrianus excuset. Nempe *Φιλοφροσύνης έννεκα τῆς ἐς τὰς ἐταίρους, ut benevolentiam cum amicis foveret*, amasse tempestiva conuiuia, & cœnas antelucanas. Egregia autem benevolentia, qua Clitum rex comissabundus interfecit, victores victarum gentium moribus subdidit, & quasi sub iugum misit. Adeo parata humanis ingeniis excusatio est etiam exitialium flagitiorum! Videtur mihi Arrianus, alioquin grauissimus scriptor, ex eorum numero fuisse, quos Lampridius in Alexandro Mammææ c. 30. laudat, Macedonis, inquit, *ebrietas & crudelitas in amicos, defenditur a bonis scriptoribus*. Sed sint per nos boni: *meliores* tamen & cordatiores putamus Diodorum, Curtium, Senecam &c. qui neque virtutes illaudatas, neque vitia sine nota reprehensionis dimiserunt. Facili nunc & prona coniectura constabit, virtutibus an vitiis maior Alexander fuerit. Nos ad Oratores nostros reuertimur, identidem solliciti, ut ipsis illustrem & honorificam Auditorum præsentiam conciliemus, quam nunc vnice per omnia Musarum sacra rogamus, & vehementer petimus. Tandem abituro Korbizio ea omnia apprecamur, quæ pietatis, qua inprimis commendandus est, Deus voluit esse nunquam pœnitenda præmia. PP. Cizæ, XIV, April. M DC LXXX.




Nr 3165

8<sup>o</sup>

Wort

120





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

Ch 3846

Cap. 17. leq.

ANDRUM

ONEM

DVCIBVS

mporum,

S NOBILISSIMI

et horam octauam.

*Episcopali*

tent.

n, & ceteros vtrius-

es, cum Eruditis huius

ngulis,

*& officiose*

audiendum.

RVS CELLARIVS,

or.

Æ,

bt/ Ducal. Sax. Numb.

gr.

x